

Non enim ex duobus triangulis, neque ex alijs duabus figuris, solidus constituitur angulus; cum saltem tres anguli plani requirantur ad solidi anguli constitutionem.

Ex tribus autem triangulis æquilateris, constat pyramidis angulus.

Ex quatuor angulis, Octaëdri.

Ex quinque angulis, Icosaëdri.

Nam ex triangulis, sex autem triangulis & æquilateris & equiangulis ad idem punctum cœuntibus, non fiet angulus solidus: cum n. trianguli æquilateri angulus, recti unius bessem (hoc est duas tertias partes:) contineat, erunt eiusmodi sex anguli rectis quatuor æquales. Quod fieri non potest.

Nam solidus omnis angulus minoribus, quam rectis quatuor angulis, continetur; per propos. 21. l. 11.

Multò ergo minus ex pluribus, quam sex planis eiusmodi angulis, solidus angulus constabit.

Sed ex tribus quadratis, Cubi angulus continetur.

Ex quatuor autem quadratis, nullus angulus solidus constitui potest. Rursus enim recti quatuor erunt. Multo ergo minus ex pluribus, quam quatuor eiusmodi angulis solidus angulus constabit.

Ex tribus autem pentagonis æquilateris, & equiangulis, Dodecaëdri angulus continetur.

Sed ex quatuor huiusmodi angulis, nullus solidus angulus confici potest. Cum enim pentagoni æquilateri angulus rectus sit, & quinta recti pars erunt quatuor anguli rectis quatuor maiores. Quod fieri